



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 80. Opinio Gallilæi Romæ ab Inquisitoribus damnata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII.
A. C. 1633.

atque applausum aucuparetur, mox se-
nes atque infirmos Clericos, qui cum
ceteris emigrare haud poterant, necnon
eorum famulos adesse compulit, eisque
juramentum imposuit; Clericis tamen
hanc impietatem constanter abhorren-
tibus, famulos duntaxat ad hoc jus-
jurandum adigere poterat. Nondum
Ecclesiastici, ac Monachi urbe exce-
serant, cum jam Sueci milites eorum
domos & Monasteria involarent, & ob-
via quæque diriperent: paulopost ta-
men Magistratus quosdam ablegabat,
qui hæc Harpyas ab ulteriore violen-
tia & deprædatione cohiberent, quin
tamen illos ad reddenda, quæ suffu-
rati sunt, restitutionem adstringeret,
quinimo Magistratus Clericorum ædes
& Monasteria civibus Lutheranis inco-
lenda concessit.

§. LXXX.

*Opinio Galilæi Romæ ab Inquisito-
ribus damnata.*

Jam anno Christi millesimo sexcente-
simo undecimo die quinta Maji Ro-
mæ Sacra Inquisitio decretum edide-
rat contra opinionem Nicolai Coper-
nici patria Florentini, qui in suo libro
de revolutionibus Orbium cælestium solem
in Orbis universi centro immobilem lo-
cave-

Vid. supra
l. 193. §. 37.
tom. 57.
pag. 128.
Abrege de
l'Hist. Eccl.
Siecl. XVII.
Briet. An-
nal. Mundi
tom. 7.

Sæc. XVII. caverat, ac circum illum alios Plane-
 A. C. 1633. tas, adeoque terram istam circumagi
 statuerat: Hujus opinionis emendatio
 Romæ anno Domini millesimo sexcen-
 tesimo vigesimo edita est. sancitumque
 Copernici libros, nisi fuerint juxta præ-
 fatam emendationem correcti, esse præ-
 scriptos: cum autem celeberrimus ille
 Mathematicus Galilæus itidem Floren-
 tinus Jovis Satellites seu quatuor stel-
 las minores circa Jovem Planetam mo-
 tum suum exercentes, quas in hono-
 rem Magni Ducis Etruriæ *sidera Medicea*
appellavit, detexerat, Copernica-
 no systemati de motu solis propius ac-
 cessit; quocirca ad S. Inquisitionem de-
 latus, nonnisi promissa opinionis suæ
 quæ S. Codicibus opposita credebatur
 revocatione intentatæ pœnæ severita-
 tem declinavit: Postquam vero rursus
 hanc sententiam edito etiam libro seu
Dialogo circa duo maxima systemata Mundi
Tolemaicum & Copernicanum docuisse ac
 vulgasse, convictus erat, a Sacris In-
 quisitoribus condemnabatur, ut inte-
 gro triennio semel in hebdomada se-
 ptem Psalmos pœnitentiales recitaret,
 ac in carcere, non quia hæreticus, sed
 quod fidem datam suo relapsu in re-
 tanti momenti fefellisset, inclusus hæ-
 reret: Sequenti autem anno die vigesi-
 ma tertia Augusti Sacra Inquisitio ejus
 Dia-

Dialogum confixit, tandem vero Gal- Sæc. XVII.
 læus septuaginta octo annos natus a- A. C. 1633.
 no Salutis nostræ millesimo sexcentefi-
 mo quadragesimo secundo obiit.

§. LXXXI.

*Libellus, cui titulus: Mysticum ro-
 sarium SS. Sacramenti a Facul-
 tate Parisina proscriptus.*

Sub idem tempus inter Zammetum *Abrege*
 Lingonensem & Bellegardium Se- *chronol. t. 10.*
 nonensem Archiepiscopum in Galliis ve- *art. 8.*
 hemens fervebat contentio, cujus oc-
 casio inde repetenda. Instituerat Lu-
 dovica Burbonia Longevillæ Ducis uxor
 novam Virginum Congregationem uni-
 ce ad adorandum SS. Eucharistiæ My-
 sterium destinata, quam ipse etiam
 Pontifex ratam habens, novellæ hujus
 propaginis curam Matri Angelicæ Ar-
 naldæ Portus Regii Abbatissæ commi-
 sit. Idem quoque Papa harum Virgi-
 num Regimen Gondio Parisiensi, &
 Bellegardio Senonensi Archiepiscopis,
 necnon Episcopo Lingonensi demanda-
 vit. Prima hujus instituti initia (ut
 in rebus novis fieri amat) insolito fer-
 vore continuata amplas pietatis sege-
 tas, fructusque pollicebantur: sensim
 tamen diffidiis inter Senonensem &
 Lingonensem Præsules gliscentibus,
 præ-